

essa in luoghi opportuni con la sua ruota, e ferrate doppie in ogni finestra, e così strette, che da un ferro all'altro non vi siano più di due dita di larghezza... » Apud Pignatellum, tom. VI, consultat. 85, n. 207.

(31. Hæc pariter in materia clausuræ attendenda veniunt: « Al Vescovo di Como 16 Marzo 1593. Che le porte de' monasteri, che servono per uso de' carri, e delle some si tengano sempre serrate di fuori con catenacci, e le chiavi si tengano dal confessore, o da altra persona deputata dal vescovo, le quali porte non si aprano mai, se non per l'uso narrato.

« Che non si possano introdurre per le porte ordinarie quelle cose, che possono entrare per le ruote, e che le suore non possano parlare nelle dette porte con persona alcuna. » Apud Pignatellum, loc. cit., n. 167.

Unde porta clausuræ non debet aperiri pro quacunque visitatione, etiam matrum, vel sororum. 1604, Parma, 26 Jan. Sed solum pro necessitate introducendi res, vel personas, 1604, Perugia 4 Maii. Apud Nicol., *Flosc.*, verb. *Claus.*, n. 4.

(32. Insuper clavis ad custodiendam januam a parte interiori monasterii per abbatisam tenenda, debet fieri diversa ab exteriori, quam tenet confessarius; in *Marsicana* 5 Decembr. 1600, vel alia persona moribus ac ætate gravis ab ordinario eligenda, quæ non ideo licentiam habere censeatur ingrediendi monasterium; in *Gallipolensi* 29 Martii 1589. Non autem illam tenere debet capellanus junior, vel magistratus sæcularis, vel ejus syndicus, vel alius quilibet laicus, nisi in defectu ecclesiasticorum, et ad nutum; in *Telesina* 17 Febr. 1601; in *Marsicensi* 27 Maii 1603; in *Lyciensi* 4 Junii 1610; in *Tarentina* 26 Novemb. ejusdem anni.

(33. Multo minus superior regularis ipsarum monialium; in *Perusina* 19 Augusti 1603. Hæc omnia apud Pignatellum, tom. VI, consult. 85, num. 240; Nicolium, in *Floscul.*, verb. *Clausura*, num. 5 et seqq. Vide etiam notas sub n. 3 et 4 hujus *Append.*

(34. Quia porro Trident., et Apostolicæ constitutiones ad monialium clausuram sartam tectam habendam omni modo, et quoad omnes intendunt, hinc minime possunt prælati omnes sæculares, etiam cardinalatus dignitate præditi, nec non superiores regulares pro monasteriis sibi subjectis, clausuram monialium ingredi, nisi in casibus necessariis et comitati a paucis senioribus et religiosis viris, atque id ex forma constitut. Gregorii XIII incip. *Dubiis*, et sub pœnis in illa contentis, ut infra. Vide Luc. nostrum, art. 3 h. Rubricæ, n. 66 et seqq.

(35. Ex sentent. Monacell. vicarius capituli sede vacante, qui dicitur vicarius jurisdictionis episcopalis, si in ingressu clausuræ monialium non servat formam traditam in d. constit. pro prima vice interdictum, pro secunda suspensionem, pro tertia excommunicationem incurrit, ut ibi decernitur quoad episcopos aliosque prælatos sæcu-

lares, etiam cardinalatus dignitate præditos: quod idem de vicariis generalibus, aliisque prælatibus inferioribus jurisdictionem quasi episcopalem in monialium clausuram habentibus dicendum, licet ibi expresse non sint expressi. Etenim volens Gregor. XIII dubium exortum super intelligentia suæ primæ bullæ, incip. *Ubi gratia*, declarare in hac alia, quæ incipit *Dubiis*, sic ait: « Constitutione item nostra fuit provisum, ne cui in posterum, nisi in casibus necessariis, septa monasteriorum monialium ingrediendi consederetur licentia, ... a nonnullis dubitatum fuisse sciamus circa personas, quæ alterius ad id licentia non indigent, sed sui auctoritate officii nituntur, an liceat eis pro libito suæ voluntatis hujusmodi septa ingredi, vel potius servare debeant ipsi Regulam a concilio præscriptam. (Hæc in præmio, et in dispositiva.) Nos omnem hæsitacionis materiam tollere, et viam scandalis præcidere, ac sanctimonialium quieti consulere volentes, harum tenere auctoritate Apostolica declaramus, prælatos omnes tam sæculares, quam regulares, quibus cura et regimen monasteriorum monialium quovis modo incumbit, facultate sibi ex officio attributa ingrediendi monasteria prædicta, ita demum uti posse, si id faciant in casibus necessariis, a paucis iisque senioribus, ac religiosis viris comitati... Quod si contrafecerint, eadem auctorit. Apost. statuimus atq. decernimus, qui pontificalis dignitatis fuerint, eos pro prima vice, qua contrafecerint ab ingressu eccl. interdictos, pro secunda a munere pontificali, et a divinis suspensos, ac deinceps ipso facto absque alia declaratione excommunicatos existere; regulares vere omni officio ac ministerio privatos excommunicationi similiter subjacere. »

« Verus propterea (sic Monacell.) sensus istius constit. est, quod omnes super. qui aliena licentia non indigent, ingrediendo clausuram monialium in casibus non necessariis, etc., pro prima vice interdictum, pro secunda suspensionem a divinis, et pro tertia excommunicationem incurrit: neque dicendum, quod vicarii generales, et alii prælati inferiores non fuerint nominati, neque expressi; quia satis illos expressit, et nominavit in cit. bullæ præmio, per verba *circa personas, quæ alterius ad id licentia non indigent, sed sui auctoritate officii nituntur*, ecce omnes superiores comprehensos, et in illis verbis dispositivæ: *Prælatos omnes quibus cura, et regimen monasteriorum quovis modo incumbit*, ecce vicarios capitulares, quibus attributa est de jure facultas visitandi monast. d. monialium. » Ita Monacellus, part. III, tit. 1, formul. 42, n. 18 et seqq., pag. 154, et seqq.

« Concludendum propterea videtur (sic in terminis id. Monacell., loc. cit., n. 30, pag. 156), quod vicarius capituli de ingressu in clausuram monialium possit syndicari: primo quando ingreditur sine necessitate... secundo quando secum duxit, et introduxit numerum superfluum et excessivum per-

sonarum, tertio quando est ingressus solus sine sociis, vel cum sociis laicis, præsertim juvenibus; quia in his casibus est constitutionis Gregor. transgressor, prout sunt omnes alii superiores qui super eisdem delinquant. Ab excommunicatione autem, quam forte incurrit, poterit ab episcopo absolvi, cum non sit reservata. »

(36. Ast contrariam tenent sententiam Bonacina, *De clausura*, q. 4, punct. 5, n. 11, et Ventriglia, *Prax. rer. notab.*, p. 1, ann. 5, § 1, n. 46: « Ex dictis, sic ille, patet primo differentia inter prælatos sæculares, præditos dignitate pontificali, et alios pontificalem dignitatem non habentes, quod licet nulli possint licite ingredi monasteria monialium, sibi subdita ultra casus necessitatis, « soli tamen prælati pontificali dignitate præditi » prædictis pœnis afficiuntur; quia Gregorius, dum pœnas contra prælatos sæculares imponit, horum tantummodo meminit. Ob id vicarius generalis, aut abbas, aliique jurisdictionem episcopalem non habentes his pœnis non subjiciuntur, ut bene Sanchez, lib. VI, c. 16, n. 99. Ratio est quia pontificali dignitate carent, ut suppono. »

« Observa, ita Ventriglia, quod hæc pœna non militat contra vicarios generales, vel prælatos sæculares episcopo inferiores, habentes quasi episcopalem jurisdictionem in moniales, ingredientibus ut supra; quia ibi non sunt expressi, neque aliam censuram incurrit, aut pœnam latæ sententiæ, quia nullibi lata est. Ita Sanchez, cit. cap. 16, num. 99; Bonacina, *De claus.*, q. 4, punct. 5, n. 11.

(37. Amplius Bonacina, *loco citato*, num. 12, addit: « Prælatos tam sæculares, quam regulares ingredientibus ex causa necessaria non affici excommunicatione, etiamsi soli ingrediantur; vel etiamsi ducant secum personas non religiosas, nec senes. Ratio est, quia licet faciant contra præf. Greg. motum; tamen pœna illius motus extenditur solum ad ingredientibus in casibus necessariis. »

(38. Adversus tamen hanc Bonac. sententiam insurgit id. Monacellus, cit. part. III, tit. 1, formul. 42, num. 27 et seqq., pag. 156, in hæc sane verba: « Erronea quoque est alia propositio ejusdem Bonacinae... nempe, quod tam prælati sæculares, quam regulares ingredientibus clausuram monialium ex causa necessitatis, non incurrit excommunicationem, si soli ingrediantur, vel si secum ducant personas non religiosas, nec senes; quia, ut ipse dicit, pœna const. Greg. extenditur solum ad ingredientibus in casibus non necessariis. Nam Pontifex Greg. declarando suam primam bullam, per modum novæ legis statuit, quod superiores, quia alterius licentia non indigent pro in-

(97) Hæc porro sunt verba Fagnani, *l. cit.*: « Hodie ex declaratoria Greg. XIII super dubiis const. incip. *Ubi gratia*, prælati omnes tam sæculares, quam regulares, quibus cura et regimen monasteriorum incumbit, ita demum uti possunt facultate ingrediendi illorum septa sibi ex officio attributa (et sic etiam ex causa visitacionis), si id faciant in

gressu, facultate, quæ eis ex officio datur, non utantur, nisi in casibus necessariis, et non nisi a paucis et religiosis personis fuerint comitati: ut patet ex supra cit. verbis, ibi: « si id faciant in casibus necessariis, et a paucis, iisque senioribus ac religiosiis viris comitati; » et sic dum dicit « si id faciant in casibus necessariis, » ponit *conditionem*, non *modum*; et dum dicit *a paucis* comitati, virtute illius copulæ, et hanc aliam conditionem, prout juris est æqualiter conjungit, et duo principaliter requirit, nempe necessitatem, et socios senes, et religiosos: ideoque ad evitandas pœnas constit. non sufficit alterum verificari, sed debet per necesse utrumque concurrere, ut in terminis d. bullæ ponderant Fagnanus cap. *Ut juxta*, De officio judicis ordinar., n. 29 (97). » Nicol., *Lucubr. can.*, lib. V, tit. 59, n. 200.

(39. At Ventriglia, cit. *Prax. rer. notab.*, § 1, n. 47, Bonacinae sententiam tenere videtur, hoc sane pacto: « Neque hæc pœna procedunt contra ipsos prælatos intrantes ex causa necessaria, sed associatos a multis, vel junioribus, aut sæcularibus, ut per Sanchez... nam hæc pœna procedunt tantum, quando sine causa necessaria intrant. » Hancque ipsam opinionem D. de Ligorio amplecti quoque videtur, per hæc verba: « Dicit tamen Tamb. cum Victorell... quod si episcopus solus intraret, vel non adhiberet comitantes senes, aut non religiosos, aut non paucos, non incurreret pœnas, quia pœna tantum afficiunt prælatos ingredientibus sine necessitate. » *De censur.*, n. 221.

(40. « Nota quod hæc excommunicationes non sunt reservatæ; ita Sanchez, in *Summ.*, lib. VI, cap. 16, n. 93; Filliuc., tract. 15, 146, in fin. » Ventriglia, *l. cit.*, n. 45.

(41. Sequentia porro iis quæ dicta sunt addere liceat. Clausuram monialium haud ingredi debet episcopus in exploratione voluntatis novitiæ, vel alio simili actu, sed stare debet ante fenestellam cancellorum, examinando mentem ipsius puellæ. Sacra congreg. Concil. apud Barbosam, *Summa apost. decis.*, verb. *Clausura*, n. 4.

(42. Insuper clausuram ingredi non licet superiori, aut episcopo, seu ordinis generali prætextu dandi habitum novitalibus, vel recipiendi ad professionem, aut occasione benedicendi, vel consecrandi abbatissas, ac solemniter velum concedendi, ubi solitum est eas benedici, nec etiam prætextu interveniendi electioni abbatissæ, vel priorissæ, aut examinandi moniales particulares, si hæc ad monasterii crates peragi valeant. Sacra congreg. Episcop. et Regul. 13 Sept. 1583, et in *Syracusana* 16 Oct. 1600. Apud Barbosam *l. c.*, n. 6 (98).

(43. Amplius notandum in motu Pii V

casibus necessariis, et a paucis, iisque senioribus, ac religiosis personis comitati; et contra facientes, si pontificalis dignitatis fuerint, pro prima vice ingressu eccl. interdicti, etc... Regulares vero omni officio et ministerio privati, et excommunicati decernuntur. »

(98) Posse autem in causa electionis, de qua

incip. *Decori et honestati* præcipi episcopis, et aliis locorum ordinariis in virtute sanctæ obedientiæ publicationem decreti de clausura monialium singulis annis. Dubitatur an hoc præceptum obliget sub mortali singulis annis.

(44. Resp. « Satis esse decretum alias publicatum fuisse, nisi aliud necessitas suadeat. » Ratio est, tum quia aliquibus in locis non solet quotannis publicari; tum quia in alio motu ejusdem Pii V, qui incip. *Circa pastoralis*, et in motu Greg. XIII, qui incip. *Deo sacris*, sermo simpliciter est de publicatione faciendâ, et non præscribitur publicatio quotannis; ita Nav. in comm. 4 *De regul.*, n. 54; Sanchez, in *Oper. mor.* l. vi, cap. 15, n. 23. » Sic Bonac., *De claus.*, q. 1, punct. 6., n. 3. Hæc pariter Ventriglia, *Prax. rer. notabil.*, par. 1, cit. annotat. 5, § 2, n. 4 et 5.

(45. In hac materia de clausura, quæri insuper solet an, et quid valeat (circa eandem) consuetudo, et quid adhuc incumbat episcopo.

« Quamvis contra clausuram monialium, tam quoad egressum, quam ingressum licita et valida sit consuetudo rationabilis et legitime introducta, id est tempore debito per decem saltem annos continuata, ita ut villius in variis monasteriis ubique licita sint, et permitti possint, quæ de jure prohibita cognoscuntur, prout cum communi, et recepta aliorum jam sæpe dictum, eo quod clausura solo obliget jure humano ecclesiastico, contra quod utique licite, et valide introduci potest consuetudo, textu claro c. fin. *De consuet.*... Nihilominus si animadvertant reverendissimi ordinarii, quod occasione hujusmodi consuetudinum in monasterio aliquo varia eveniant inconvenientia, vel nascantur scandala, aut notabiliter patiat disciplina regularis, etc., possunt, et gravissime tenentur hujusmodi consuetudines tollere, vel saltem pro exigentia circumstantiarum moderari, ipsamque clausuram denuo restituere; ubi vero hujusmodi consuetudines nondum vigent, neutiquam permittere ut introducantur; sed potius debite vigilare, et procurare, ut clausura sem-

supra, superiores ingredi clausuram tradit Reiffenstuel cum Barbosa, *De offic. et potest. episc.*, allegat. 102, n. 46; Roderiquez, Miranda, et Donato, quando nimirum prudenter timetur quod, ipsis non intransibus, sint secutura collusiones, factiones, indeque subsequens inquieta, vel mala, vel omnino non canonica electio. « Pariter, subjungit Reiffenstuel, licebit, ubi consuetudo id habet, qualis in provincia nostra reformata viget. » Ad tit. 35, ex. *De statu monach.*, § 2, n. 64.

(99) Videtur quod Sanchez, lib. vi, in *Decal.*, cap. 15, n. 4, et seq., in eam iverit sententiam, contraria consuetudine clausuram aboleri fortasse posse, ex eo quod illa sit juris duntaxat humani. Lubet ejus verba, et doctrinam referre: « Absque dubio dicendum, sic ille, prohibitionem quoad clausuram solius humani juris esse; nec enim sacris litteris, aut traditione aliqua divina hujusmodi clausura clare deduci potest, nec in tribus religiosi votis claudatur. » Et paulo post... « Si textus (quoad clausuram) minime decernunt exitum e mo-

per inviolata conservetur, et hoc non tantum in monasteriis sibi subjectis, sed etiam *exemptis*. Ita communis DD. ob clara verba concil. Trident. ubi gravissimam hanc obligationem tremendis verbis imponit episcopis. Ratio est, quia consuetudo, quæ vel ab initio, vel cum tempore incipit præbere occasionem peccandi, vel est utilitati communi pernicioza, non amplius est rationalis, sed irrationalis, et mala corruptela, sicque nec licita, nec valida... » Reiffenstuel. ad tit. 35, ex. *De stat. monach.*, § 2, n. 66.

Sic pariter ex Bonacina, *De claus.*, q. 4, punct. 5, num. 1 et 2: « Laici et clerici... excusari possunt a culpa et pœnis jure communi impositis contra frequentantes monasteria monialium... (si adest) legitima consuetudo in contrarium. Alicubi enim usu receptum est ut feminae et viri, præsertim laici, sine ullo conscientiæ stimulo ad monialium monasteria accedant. »

(46. « Porro ubi clausura relaxata fuerit, remitti debet sine vigore, cum suavitate, et cautela, temporisque beneficio. » 1604, *Saluzzo*, 12 Jan. Apud. Nicol., *Flocc.*, verb. *Clausura*, n. 2.

(47. Etsi vero quodammodo stare possit consuetudo in materia clausuræ pro particul. speciebus, juxta tradita a Reiffenstuel et a Bonac., haud tamen inferas licet, decretis conciliaribus, et constitutionibus Apostolicis clausuram præcipientibus contraria consuetudine posse in universum valadici, quemadmodum sacra Congr. Concilii rite declaravit in *Sabinen.* 3 Jul. 1632, quæ super tertio dubio.

« An decretis conciliaribus et constitutionibus Apostolicis clausuram præcipientibus obstet contraria consuetudo, etiam post concilium introducta?

« Sacra congreg. respondit:

« Ad III. Decretis conciliaribus et constitut. Apostolicis clausuram præcipientibus nullam consuetudinem obstare. » Apud Monacell., part. II, tit. 15, formul. 15, n. 14, pag. 260 (99).

(48. Hoc pacto, etiamsi in aliquo monasterio ante concilium Tridentinum clausura

nasteriis fuisse ante juris humani prohibitionem illicitum, sed per illud jure optimo interdicti ad pericula contra castitatem, et scandala, quæ inde surgere poterant, præcavenda; nec decrevere id præceptum contraria consuetudine in posterum inducenda aboleri non posse, sed solam jam inductam abrogaverunt. Hinc deducitur posse alicubi consuetudine esse derogatum his omnibus decretis clausuram indicentibus, quia possunt esse non recepta, aut contraria consuetudine abolita, quippe cum solius juris humani clausura hæc sit, potest contraria consuetudo prævalere... Quare minus bene Lamas... dicit contra hanc clausuram non potuisse consuetudinem, aut statuta religionis vim habere ullo tempore, quia etiam ante juris humani statuta vim habuisset clausura, quia tacite claudatur in voto tanquam necessaria ad castitatis promissæ observantiam. Sed si hoc argumentum vim haberet, falsum esset, quod diximus esse de solo jure humano, quod tamen non est, sed verissimum; quamvis enim tacite sub obedientiæ voto claudatur quid-

non fuisset servata, (hanc) consuetudinem damnat Tridentinum, sess. xxv, cap. 5, *De regul.*, et Pius V in bulla incip. *Circa pastoralis*, etiamsi esset immemorabilis. Tambur., *De jur. abbatiss.*, disp. 18, quæst. 5, n. 5. » Sic Ventriglia, *Prax.*, etc., annot. ut *supra*, § 1, n. 12.

(49. Privilegia denique quod attinet in hac eadem materia, « nota, quod privilegia contra clausuram ante concil. Trident. et prædictam bullam Pii V dicuntur ab illis revocata, ut notat Nav. in comment. de regul. 4, n. 53, nota 2 et 3; Sanchez, in *Decal.*, sive in *Oper. mor.*, lib. vi, cap. 15, n. 18. Secus tamen est, si adessent privilegia legitime concessa post concil. Trident. Tambur. l. c. » Ita pariter Ventriglia, *ibid.*, n. 14.

(50. Jam vero obligatio clausuræ adstringit « omnes et singulas moniales cujuscunque ordinis, etiam militaris, quæ religiosam professionem emittunt et vivunt in congregatione; Sanchez..., Miranda..., Bonacina..., aliique communiter: et probatur tum quia concil. Trident., sess. xxv, c. 22, *De regul.*, statuit omnia, et singula contenta in superioribus decretis servari in omnibus cœnobiis, ac monasteriis, quarumcunque sanctimonialium, etiamsi illæ sub gubernio militiarum, etiam Hierosolymitanæ, vivant, et quocunque nomine appellentur, sub quacunque regula, vel institutionibus: unum autem ex præfat. decretis ea sessione factis est de clausura monialium: tum quia Pius V in sua bulla *Circa pastoralis officii* ait, « cujuscunque ordinis, vel militiarum, « etiam Hierosolymitanæ sint, » quæ dictio etiam in utroque decreto posita significat a fortiori comprehendendi moniales aliorum ordinum militiarum. »

(51. Quod si quæ femina hodie licite profiteretur ea conditione, ut in domo propria maneret, prout permittitur cap. fin. *Qui clerici vel coventes*, ea non teneretur ad clausuram; si quidem jura loquuntur de monialibus viventibus in congregatione, ut aperte constat ex constit. Pii V, et cum sint odiosa, non debent ampliari sed restringi, ita Graff. Miranda... Bonac... aliique (100). » Pellizzarius, *De monial.*, cap. 5, sect. 1, quæst. 8, n. 14.

(52. « Nota moniale teneri ad clausuram etiamsi tempore professionis habuerit animum non se obligandi ad illam, quia hæc obligatio provenit ex dispositione Summ. Pontificum, qui moniales professas ad clausuram obligant... » Ventriglia, *Prax. rer. notab.*, part. 1, annot. 5, § 1, n. 15.

(53. Ad clausuram non tenentur novitiæ, quia in jure non sit sermo de novitiis. Bonac.,

quid secundum regulas præcipit superior; at quod juxta illas præcipit superior, est merum jus humanum, et ita consuetudo potest prævalere contra illud, sicut jure divino tenentur obedire Pontifici; at præcepta illius solo jure humano obligant, possuntque consuetudine aboleri. »

Hæc videtur etiam esse sententia Pellizzarii, *De monial.*, cap. 5, sect. 1, q. 12, n. 28. Attamen quidquid sit de hac questione speculative loquendo,

l. c., q. 1, punct. 1, n. 3. De puellis educationis causa in monasteriis degentibus, *Vide Luc. nostrum*, art. 1, verb. *MONIALIS*, n. 28. Cætera ad rem, ut complura alia notabilia moniales spectantia, sub. verb. *PROFESSIO RELIGIOSA* persequemur.

ARTICULUS V.

Moniales quoad ea quæ concernunt earum confessarios tam ordinarios quam extraordinarios.

SUMMARIUM.

1. Monialium confessarii eligi debent et approbari ab episcopo loci pro monasteriis sibi subjectis. — 2. Pro monasteriis autem regularibus subjectis eligi et deputari debent a suis respective superioribus regularibus; ab episcopo diocesano debent idonei judicari et approbari. — 3. Potest tamen episcopus in aliquibus casibus deputare confessarium sæcularem, seu regularem etiam alterius religionis monialibus exemptis. — 4. Quod episcopus in casu negligentiae superiorum possit deputare confessarium extraordinarium monialibus regularibus subjectis, decrevit expresse sac. cong. Concilii. — 5. Insuper potest episcopus ex justa et rationabili causa superiores regulares admonere, ut ejusmodi confessarios amoveant, et si superiores id facere detrectent aut negligant, potest ipse prædictos confessarios amovere quoties et quando opus esse judicaverit. — 6. Nec episcopus tenetur ejusmodi causam significare superioribus regularibus. — 7. Confessiones monialium sibi subjectarum audite a confessariis regularibus sine approbatione episcopi sunt irritæ et nullæ. — 8. Neque superiores quicunque, etiamsi sint generales, possunt sine approbatione episcopi audire confessiones monialium sibi subjectarum. — 9. Licet idem confessarii sint generaliter approbati ab episcopo ad audiendas confessiones sæcularium, adhuc est eis necessaria approbatio pro monialibus sibi subjectis. — 10. Nec approbati ab episcopo ad audiendas confessiones monialium unius monasterii, censentur approbati ad audiendas confessiones monialium alterius monasterii. — 11. Etiam confessarii extraordinarii indigent speciali approbatione episcopi. — 12. Nec semel approbati censentur semper approbati. — 13. Nec in vim unius approbationis possunt pluries monialium etiam ejusdem monasterii confessiones audire, sed toties debent ab episcopo approbari, quoties casus deputationis contigerit. — 14. Imo tales confessarii indigent approbatione ordinarii ad audiendas confessiones monialium sibi subjectarum non obstante etiam contraria consuetudine immemorabili. — 15. Confessarii non approbati specialiter ad audiendas confessiones monialium, nequeunt earum confessiones audire, neque tempore jubilei. — 16. Approbatus pro monialibus unius monasterii, neque tempore jubilei censetur approbatus pro monialibus alterius monasterii. — 17. Confessarius presentatus ad excipiendas confessiones monialium regularibus subjectarum, debet vel absolute rejici, vel per totum triennium approbari, non vero ad tempus brevius. — 18. Nulla ex

a decreto S. Congr. supra allato nequaquam recedere licere tenemus: idque, etiamsi de hac, vel illa pecul. consuet. agatur, ut sentire videtur Monac., *ib. Vid. const. Ben. XIV, incip. Salutare.*

(100) « Verum Pii V constitutio incip. *Decori et honestati* videtur irritare has professiones. Tambur., *De jur. abbatiss.*, disput. 18, q. 5, in fin., ubi adducit Lezanam, Mirandam, Rodriq. Zipeu. et alios. » Ita Ventriglia, cit. *Prax.*, annot. 5, § 1, n. 17.